

Lectiones Theocriteae.

Id. IX. 29:

*Βωκολικαὶ Μῶσαι μάλα χαίρετε, φαίνετ' ὄϊδ' ἄν,
Τὴν ποκ' ἐγὼ τήνοισι παρῶν ἄεισα νομεῦσιν.*

Non iniuria Tourpius παρῶν istud corruptum esse suspicatus est, quod hoc loco adeo est languidum, ut nihil esse possit supra. Neque tamen placet ea coniectura, quam proposuit, *πρώαν*, etsi illa quidem a Brunckio est recepta, probata Valkenario. Litteris, quae male coaluerunt, distractis scribo:

Τὴν ποκ' ἐγὼ τήνοισι παρ' ὧν ἄεισα νομεῦσιν.

Hoc modo frequenter peccaverunt librarii: ita in Epicharmi versu apud Athenaeum L. VI. p. 236. A. Scribendum est:

*Καὶ κά τις ἀντίον λέη τήνω λέγειν,
Τήνω κυδάζομαι τι κάπ' ὧν ἠχθόμαν.*

In Melanippidis versibus apud eundem L. X. p. 429. C. lego:

*Τάχα δὴ τάχα τοὶ μὲν ἀπ' ὧν ὄλοντο,
Τοὶ δὲ παράπληκτον χέον ὀμφάν.*

Vulgo numero minus commodo legitur: *τοὶ μὲν οὖν ἀπόλοντο*: illud, quod ego restitui, commendat etiam lectio cod. A. *ἀπωλαίοντο*. Et Theognidis locus v. 663. sic corrigendus esse videtur:

Καὶ ὅς μάλα πολλὰ πέπαται,

Ἐξαπίνης τὰδ' ἀπ' οὖν ὄλσεε νυκτὶ μιῇ.

ubi vulgo editur: *πάντ' οὖν*: sed in cod. Mut. repertum est *αποτουν*.

Id. XIII. 49:

Κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ

Ἄθροός, ὡς ὅκα πυρός ἀπ' οὐρανῶ ἤριπεν ἀστήρ

Ἄθροός ἐν πόνητῳ· ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταῖρος.

ἠ. Rhein. Mus. f. 374. IV.

In ultimo versu repetitio eiusdem vocabuli (*ἄθροός*) nescio quid habet incommodi: et codicum lectiones apud Gaisfordium facile arguunt labem quandum hunc versum contraxisse: legitur enim in aliis *ἔξαιφνης*, in aliis corrupte *ἄθροός* vel *ἄθρον*. Sed multo magis ea, quae subsequuntur librariorum erroribus sunt depravata. Nam quis ille amicus aut unde, qui iusserit heroas vela pandere? Hermannus ex codd. optimis scribendum censuit: *ναύταις δέ τις εἶπεν ἑταίροις*, ut alius alii dixerit. Sed ne hoc quidem satis venustum, praesertim cum ipsa orationis conformatio sit ambigua: neque enim ipsi Argonautae inter se cohortari videantur, sed alii compellere illos heroas. Brunckius coniecit: *ναύτας δέ τις εἶπεν ἑταίροις*: verum non unum aliquem de multis, sed virum auctoritate valentem consentaneum est haec dixisse. Scripsit Theocritus:

Ἐν πόντῳ· ναύταισι δὲ Τῖφρυς ἔειπεν ἑταίροις.
Tiphyn enim, quem Argonautae

aurigam celeris fecere carinae,

virum et auctoritate et annis, ut videtur, gravem par erat haec imperare nautis: idque quodammodo etiam ea, quae sequuntur, efflagitant:

Κουφότερόν, ὧ παῖδες, ποιῆσθ' ὄπλα· πλευστικός οὖρος.

Atque omnes qui Argonautarum res gestas carminibus celebraverunt, tum cum Hercules non rediisset, Tiphyn ancoras solvi iussisse memorant, ut Apollonius I. 1273:

Αὐτίκα δ' ἀκροτάτας ὑπερέσχεθεν ἄκριας ἀστήρ

Ἥρῳ, πνοιαὶ δὲ κατήλυθον· ὦκα δὲ Τῖφρυς

Ἐσβαίνειν δρόθονεν ἐπαύρεσθαί τ' ἀνέμοιο.

Item Orpheus v. 653:

Κραιπνός δ' ἐξ οὖρεος ἔπνεεν οὖρος,

Ἐν δ' ἔπεσ' ἀργενναῖς ὀθύταις· Τῖφρυς δ' ἐγγώνει

Νηὸς ἔσω περᾶν, θινὸς δ' ἐκ πείσματα λύειν.

Iam vero cum librariorum errore sane facili *Τῖφρυς* in *τις* esset commutatum, alii ut versum redintegrent, addiderunt

ἀθρόος. Epicam autem formam ἔειπεν in hoc carmine, quod proxime accedit ad heroici operis dignitatem, nemo mirabitur a me revocatam esse: atque eadem forma reperitur etiam infra in iis carminibus, quae et argumento et conformatione huic sunt simillima, ut XVII. 71. XXII. 153. XXV. 77. et 179. XXVI. 18. Versus numeri minus sunt fortes: sed non desunt exempla aliorum versuum similiter compositorum in Theocrito. Sic in hoc ipso carmine supra v. 19 vera videtur codd. lectio esse:

Ἰκετο χῶ ταλαεργὸς ἀνήρ ἐξ ἀφνειῶν Ἴωλκόν.

Nam ἀφνειῶν Ἴωλκὸν idoneis potest muniri exemplis. Sic Pindarus dixit in versibus apud Ath. XIII. p. 574. A.:

Πολύξεναι νεάνιδες, ἀμφίπολοι Πειθοῦς ἐν ἀφνειῷ
Κορίνθῳ,

Αἴτι τᾶς χλωρᾶς λιβάνου ξανθὰ δάκρυα θυμιᾶτε.

Secutus ille quidem Homerum, qui dixit in II. II. 570:

Ἀφνειὸν τε Κόρινθον, εὐκτιμένας τε Κλεωνάς.

Etiam Bacchylides Fr. I.

Ὀλβιος ᾗτιμι θεὸς μοῖρᾶν τε καλῶν ἔπορευ

Σύντ' ἐπιζάλω τύχη ἀφνειῶν βιοτᾶν διάγειν.

Ceterum in Pindari versu secundo scribendum puto: ξανθὰ δάκρυα θυμιᾶτε: hanc enim formam servavit grammaticus in Cramerii Anecdotis T. I. p. 121. respiciens, ut videtur, hunc ipsum versum. Neque damnaverim δένδρη in Pherecratis versu ex Persis apud Athen. L. VI. p. 269. D.:

Τὰ δὲ δὴ δένδρη τᾶν τοῖς ὄρεσιν χορδαῖς ὀπταῖς ἐρι-
φείοις

Φυλλοροήσει.

Sic enim scribo: idque nunc etiam idem ille Cramerii Grammaticus p. 269 confirmat: καὶ κρίνον κρίνος, ἔνθεν καὶ κρίνεισι (κρίνεσι. vid. Nub. 908.) παρὰ Ἀριστοφάνει· καὶ παρὰ Ποσειδίππῳ· τὸ τῆς ἐλάτας δένδρον (δένδρεον) καὶ πάλιν παρὰ Ἀριστοφάνει· τὰ δὲ δὴ δένδρα τᾶν τοῖς ὄρεσιν; Teleclidem ille quidem cum Aristophane commutans.

Id. XI. 22:

Φοιτῆς δ' αὖθ' οὕτως, ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχη με,
Οἶχη δ' εὐθὺς ἰοῖσ', ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἀνή με.

Illud αὖθ' οὕτως vix, puto, erit, qui ferri posse credat: non tamen quisquam proposuit coniecturam, quae probanda sit: nam ne Wassenbergii quidem ratio, qui verbis transponendis maculam istam eluere conatus est, omni ex parte satisfacit. Mihi videtur poeta scripsisse:

Φοιτῆς δ' αὐταύτως, ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχη με.

quod interpreto: *sponte venis*. Ut autem a pronomine αὐτός adverbium αὐτως originem trahit, sic rectissime ab αὐταντος formatur αὐταύτως. Pronomen autem illud αὐταντος Doriensibus fuit usitatissimum, sed librarii ubique oblitteraverunt, ut plane ignorarem, nisi Apollonius de pronomine p. 359. B. commode illud attigisset: Μόνη διπλασιάζεται παρὰ Δωριεῦσιν ἢ αὐτός ἐν τῷ αὐταντος· αἱ δὲ μὴ ἐγὼν ἔματτον ταῖς αὐταύταις χερσίν, Σώφρων. Saepius restituendum est in reliquiis philosophorum Doriensium, ut apud Archytam in Stobaei ecl. phys. I. p. 710. ed. Heeren.: Πλατιάζουσαν γὰρ αἰεὶ τοῖς πράγμασιν ἕξομοιοῦν αὐταύτα. vulgo αὖ ταῦτα. sed de hoc pronomine alias plura disseram.

Id. XVII. 16:

Τῆνον καὶ μακάρεσσι πατὴρ ὁμότιμον ἔθρηκεν
Ἄθανάτοις, καὶ οἱ χρύσεος δόμος ἐν Διὸς οἴκῳ
Δέδμηται.

Thalamum suum quisque habebat deus in Olympo, id quod vel Homericus versus in Iliade Lb. I. 606. satis docent:

Οἱ μὲν κακχείοντες ἔβαν οἰκόνδε ἕκαστος,
Ἴχι ἐκάστῳ δῶμα περίκλυτος Ἄμφιγυήεις
Ἴφραιστος ποιήσιν ἰδνίησι παραίδεσσιν.

non igitur mirum, quod poeta Ptolemaeo quoque in deorum numerum recepto thalamum exstructum esse fingit: iam vero si accuratius composueris, ea quae sequuntur,

παρὰ δ' αὐτὸν Ἀλέξανδρος φίλα εἰδὼς

Ἐδριάει, Πέρσαισι βαρὺς θεὸς αἰολομίτραις
Ἄντία δ' Ἡρακλῆος ἔδρα σφιν ταυροφόνιοι
Ἰδρυταί, στερεοῖο τετυγμένα ἔξ ἀδάμαντος.

senties aliud potius requiri, quum non de thalamis, sed potius de sedibus in convivio deorum omnis sit sermo. Scripserat Theocritus :

Καὶ οἱ χρύσεος θρόνος ἐν Διὸς οἴκῳ
Λέδηται.

Et nunc demum satis recte dictum est illud, quod deinceps legitur :

Ἐνθα σὺν ἄλλοισιν θαλίας ἔχει οὐρανίδαισιν.

Id. XXI. 11 :

Ἵρμειαί, κύρτοι τε καὶ ἐκ σχοίνων λαβύρινθοι
Μήρινθοι κῶας τε γέρον τ' ἐπ' ἐρείσμασι λέμβος.

Vitiosa est vulgata lectio κῶας (alii cod. κῶα) neque placet omni ex parte hominum doctorum emendatio: κῶα vel κῶ-
παι. Scripsit enim Theocritus :

Μήρινθοι κοίαι τε γέρον τ' ἐπ' ἐρείσμασι λέμβος.

Κοίαι fuerint lapides, quibus retia gravabantur. Usus est hoc verbo Antimachus apud auct. Etym. M.

Κοίας ἐκ χειρῶν σκόπελον μέτα ῥιπτάζουσιν.

Sic enim corrige: compares Homerum in Odyssea α'. VI. 115:
Σφαῖραν ἔπειο' ἔρριψε μετ' ἀμφίπολον βασιλεία.

Id. XXIII. 50 :

Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, μαραίνεται ἀνίκα πίπτει,
Ἄ δὲ χιῶν λευκά, καὶ τάνεται ἀνίκα παχθῆ.

Iure mireris homines doctos neque quibus vitis hi versus inquinati sint, neque qua ratione illa removenda, satis perspexisse: nihil enim languidius neque dici neque fingi potest, quam quod lilium dicitur marcescere simul ac decerptum sit ac deciderit: plane autem contra rei naturam nix dicitur liquescere, quando congelaverit. Neque vero poeta est reprehendendus, sed librarii, id quod saepius in Theocriti car-

minibus accidit, exitum utriusque versus conturbaverunt. Scripserat enim poeta:

Λευκὸν τὸ κρίνον ἐντί, μαραιίνεται ἀνίκα πάχθη,
Ἄ δὲ χιῶν λευκὰ καὶ τάκεται ἀνίκα πίπτῃ.

Hoc enim dicit: *Candidum est lilium, sed simul ac frigore laesum est, marcescit: candida nix, sed liquescit simul ac cecidit*: id quod plane convenit naturae coeli, quo Graecia fruebatur. Πάχθη autem est impersonale verbum.

Id. XXIII. 39:

Ἀῦσον τῷ σχοίνῳ με καὶ ἀμφίθεες ἐκ θεθέων σῶν
Εἴματα καὶ κρύψον με, τὸ δ' αὖ πύματόν με φίλασον.

Mirum quantum languet illud κρύψον: nam quominus ad ipsam referatur sepulturam, vetant ea quae sequuntur:

Χῶμα δέ μοι κοίλανον, ὃ μὲν κρύψει τὸν ἔρωτα.

Scripsit Theocritus:

καὶ ἀμφίθεες ἐκ θεθέων σῶν
Εἴματα καὶ ῥύψον με.

Hoc enim misero illi ultimum votum est, ut puer iste ferox se mortuum abluat et suis involvat vestibus. Iam quod illud ῥύψον posteriorem teneat locum non magis est insolens, quam Euripidis istud:

Τοῦτόν ποτ' ἔτεκον κάφερον ζώνης ὕπο,
aliaque id genus permulta.

Id. XXIII. 41:

Κὰν νεκρῷ χάρισαι τὰ σὰ χεῖλεα· μὴ με φοβαθῆς,
Οὐ δύναμαι ζῆν, εἴ γε διαλλάξας με φιλάσεις.

Alter versus longe est omnium perversissimus: homines autem docti, quos non penitus fugit, haec inepta esse, non tamen coniectura potuerunt assequi, quid instituta sententia requirat. Neque tamen adeo difficile est indagare, quid Theocritus scribere debuerit: et aliquid praesidii est in codd. lectione εἴν σε διάλλ. Poeta enim dixerat:

Οὐ δύναμαι ζητεῖν σε· διαλλάξας με φιλάσης.

Ζητεῖν eo modo est dictum, quo est in Anacreont. Fr. IV:

Ἦ παῖ παρθένιον βλέπων
 Αἰζημί σε, σὺ δ' οὐ κοεῖς.

Sic enim ista corrigenda videntur.

Id. XXV. 252 :

Αὐτὰρ ὁ κραῖτα δαφροῖν ἀπὸ χθονὸς ὧκ' ἐπάειρεν
 Θαμβήσας, πάντη δὲ διέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν
 Σκεπτόμενος, λαμυροὺς δὲ χανῶν ὑπ' ὀδόντας ἔφηνεν.

Leo, cum Herculis sagitta esset excitatus, non celeriter caput erexit, sed ut solet magnanimum istud animal, lentius. Non igitur crediderim poetam scripsisse ὧκ' ἐπάειρεν, sed potius :

Αὐτὰρ ὁ κραῖτα δαφροῖν ἀπὸ χθονὸς ἦκ' ἐπάειρεν,
 idque tum maxime solet facere, si obstupescit (θαμβήσας).
 Ceterum compares Homer. Odyss. XX. 301 : Ὁ δ' ἀλεύειτ'
 Ὀδυσσεύς

Ἦκα παρακλίνας κεφαλὴν.

Id. XXV. 262 :

Τὸν μὲν ἐγὼν ὀδύνησι παραιφρονέοντα βαρείαις
 Νωσάμενος, πρὶν γ' αὐθις ὑπότροπον ἀμπνυθῆναι,
 Αὐχένος ἀρρήκτιο παρ' ἰνίον ἦλασα προφθάς.

Sunt haec prorsus inepta et praepostera : ἦλασα enim quiv corruptum sit, nemo dubitabit. Nam cum Hercules frustra telis insectatus esset feram illam, cum frustra tentasset clava interimere ipsamque clavam confregisset, quonam pacto potuit rursus ferire leonem? Et codices quoque non omnes servant illud ἦλασα, sed alii ἔφθασα, alius ἔφασα exhibent. Scripserat Theocritus :

Αὐχένος ἀρρήκτιο παρ' ἰνίον ἔφλασα προφθάς.

Nam cum Hercules satis intellexisset, non posse illam feram telis interimi, iam firmiter manibus comprimit atque angit : et subsequuntur continuo haec :

Ἦγχον δ' ἐγκρατέως, στιβαρὰς σὺν χεῖρας ἐρεῖσας

Ἐξόπιθεν, μὴ σάρκας ἀποδρῦψη δνύχεσσον.

Παραφλᾶν, haec enim sunt coniungenda, recte est formatum et satis ab omni dubitatione defenditur verbo simillimo

παραθλίβειν, etsi alias non legitur. Φλᾶν autem, non θλᾶν dixerunt Dorienses, uti supra quoque dixit V. 148: εἴ τιν' ὄχευσεῖς Τᾶν αἰγῶν, φλασῶ τυ. Sed hoc quidem metro repugnat: scribendum est φλαξῶ, sicut v. 150: Αἰ μὴ τυ φλάξαιμι, non ut vulgo, φλάσαιμι. Sequuntur haec:

ῥίφας τόξον ἔραξε πολύρραπτόν τε φαρέτρην.

Sed quis tandem pharetram dixerit *sutilem*? Πολύρραπτος quocumque modo interpretaris humile est atque abjectum. Nisi prorsus a vero aberro, poeta scripsit:

ῥίφας τόξον ἔραξε πολύρραβδόν τε φαρέτρην.

Virgatam enim dicit pharetram. Sed multo gravius sunt ea quae sequuntur depravata, in quibus poeta sic pergit pugnam illam cum leone exponere:

Ἰγγον δ' ἐγκρατέως, στιβαράς σὺν χεῖρας ἐρείδεις

Ἐξόπιθεν, μὴ σάρκας ἀποδρῦψη δνύχεσσι.

Πρὸς δ' οὐδας πτέρησι πόδας στερεῶς ἐπιέζον

Οὐραίους ἐπιβάς· πλευρῆσί τε μῆρ' ἐφύλασσον,

Μέχρις οἱ ἐξετάνυσσα βραχίονας, ὕρθον αἰείρας

Ἀπνευστον.

Nihil enim unquam vidi his perversius neque interpretes quidquam suspicati sunt, sed non minus falsas opiniones menti suae informaverunt, quippe qui crediderint Herculem insidere tergo leonis et sic quasi inequitantem fauces conprimere. Sed nihil inest in poetae verbis, quo mira illa opinio possit confirmari, imo omnia plane repugnant. Commemorare enim debuisset poeta Herculem, cum antea adversa fronte impetum leonis contudisset, nunc a tergo aggredi feram eique insilire. Sed nihil tale reperitur. Deinde prorsus non intelligo, quo modo Hercules potuerit tergo leonis insilire, cum ille posterioribus pedibus erectus steterit, v. 259:

Πέσεν δ' ὄγε πρὶν γ' ἔμ' ἰέσθαι

Ἐψόθεν ἐν γαίῃ καὶ ἐπὶ τρομεροῖς ποσὶν ἔστη,

Νευστάζων κεφαλῇ.

Nam credo haec de solis posterioribus pedibus esse intelli-

genda: leo cum magno impetu in Herculem irrueret, in medio nisu clava graviter concussus, delabitur humum, sed non concidit, verum quamvis contremiscens, erectus stat, adhuc imminens Herculi. At vero si Herrules ferae tergo inessisset, vix ac ne vix quidem plantis potuisset pedes posteriores leonis comprimere: atque omnino inequitanti non multum erat verendum; ne unguibus aut faucibus laederetur, sed multo potius ne decuteretur, prius quam spiritum elississet. Sed si accuratius poetae verba quamvis miris modis foedata consideramus, facile intelligimus Herculem, cum erecta staret fera, abiectis telis atque pharetra, manu utraque fortiter collum leonis comprimere, simul autem pedes anteriores retro trahere, ne ab unguibus dilaceretur, plantis autem insistere pedibus belluae posterioribus, denique femoribus suis graviter comprimere latera leonis, quo citius spiritus meatus intercludatur. Haec ita cum rei ipsius natura conveniunt, ut omnes mecum consentire confidam. Iam primus versus sic corrigendus esse videtur:

Ἦγγον δ' ἐγκρατέως, στιβαράς σὺν χεῖρας ἔρυσσας

Ἐξόπιθεν, μὴ σάρκας ἀποδρῦψη ὀνύχεσσιν.

Σὺν non tam cum ἐρύσσας coniungendum esse credo, quam potius adverbii loco positum est, ut sit *una, simul*: χεῖρες autem sunt *pedes anteriores leonis*. Ii autem versus, qui sequuntur, sic sunt emaculandi:

Πρὸς δ' οὔδας πτέρησι πόδας στερεῶς ἐφύλασσον

Οὐραίους ἐπιβάς, μηροῖσι τε πλεύρ' ἐπέεζον.

Commutanda fuit sedes verborum ἐπέεζον et ἐφύλασσον, nam a pedibus erat cavendum Herculi, quare convenit ἐφύλασσον; latera erant comprimenda, ut leo penitus animam exhalaret: dicendum igitur ἐπέεζον, non ἐφύλασσον, nullum enim periculum ab hac quidem parte Herculi erat expavescendum. Στερεῶς tam cum ἐφύλ. quam cum ἐπιβάς poterit copulari: illa autem verba πρὸς οὔδας etsi ab hac orationis conformatione abhorrere videntur, tamen si sensum respicis, sunt

rectissime dicta: hoc enim vult poeta: *insistens pedibus posterioribus firmiter eos humi deprimebam et quasi custodiebam.* Iam ultima verba:

*Μέχρι οἱ ἐξετάνησσα βραχίονας ὀρθὸν αἰέρας
Ἄπνευστον· ψυχὴν δὲ πελώριον ἔλλαχεν ἄδης*

possint videri quodammodo repugnare ei sententiae, quam modo proposui, erectum pedibus posterioribus constitisse leonem: sed etiam si statuamus, leonem ita humum delapsum esse, ut quatuor pedibus institerit, vel sic tamen Hercules non a tergo in leonem fecit impetum neque ei quasi inequitavit (nunquam enim valuisset feram erigere,) sed omni virium contentione immanem belluam erexit et eo modo, quam supra descripsi, fauces eius praeclusit.

Iam vero non leve accedit momentum ei rationi commendandae, quam ego inivi: nam veteres quoque artifices, qui hanc Herculis cum leone pugnam fixerunt, leonem stantem examinatum esse ostendunt. Sic in eo libro, qui inscribitur *les antiquités d'Herculanum avec leurs explications* in T. IV. tab. V. Hercules in tabula picta conspicitur nudus, manu utraque fauces leonis qui in ipsum insiluerat, comprimens. Humi autem iacent pallium, arcus, pharetra atque etiam clava integra: itaque ille quidem pictor videtur hac in re aliam quandam secutus esse famam, qua Hercules clava non usus esse perhibebatur ad feram illam contundendam. Memini me simillimam imaginem huius pugnae etiam in Gorii Museo Etrusco vidisse, sed non licet mihi Lipsiae illum librum perlustrare. Viderint Welckerus alique antiquitatis investigatores sagacissimi, quibus copia est monumentorum vetustatis cognoscendorum, num alii quoque artifices eodem modo illud certamen repraesentaverint. Nam illud quidem crediderim, Theocrito, cum haec describeret et vividissimis coloribus depingeret, tabulam quandam pictam ob oculos esse versatam. Sic Theocritus etiam in carmine XIII, ubi Hylan a Nymphis raptum celebravit, vide-

tur se composuisse ad imagines quasdam, quibus illa res repraesentata fuit. Cum Theocriti descriptione prorsus congruit tabula picta quae in eodem opere, modo quod memoravi, est VI. Nam hic quoque tres Nymphae conspiciuntur, (cum alii unam tantum perhibeant rapuisse Hylam,) quae simul puerum venustissimum detrahunt in aquam: una manum eius apprehendit, duae caput deprimunt: Hylas autem manu conatur aquam infundere urnae, quae veris cyprii referre colorem dicitur: non ita procul conspicitur mulier, paullo ampliore illa quidem forma, digitum ori admovens, quam conicio Dianam esse: Apollonius enim, ubi raptum Hylae refert, L. I. 1222, dicit de Nymphis illis:

Οἱ δὲ πον ἄρτι

*Νυμφῶων ἴσταντο χοροί· μέλε γὰρ σφίσι πάσαις,
 "Οσσαί κείσ' ἔρατὸν Νύμφαι ῥίον ἀμφενέμοντο,
 Ἄρτεμιν ἐννυχίῃσιν ἀεὶ μέλλεσθαι ἀοιδαῖς.*

Poesis enim atque pictura aliaeque id genus artes arctissimo quodam vinculo inter se sunt iunctae atque consociatae, ita ut vicissim multum sane contulerint ad se conformandas atque excolendas, quamquam saepius dubii haesitamus utrum artifices sua debeant poetis, an artificibus vates. Id quod inprimis cadit in poetas tragicos: multa autem sunt in tragicorum operibus, praecipue Euripidis (quem quidem ipsum arti pingendi operam dedisse fama nequaquam falsa perhibet,) quae tum demum clara collustrantur luce, si cum artis antiquae operibus composueris: quamquam id quidem fere neglectum est, si a paucis hominibus doctis discesseris: contra multa antiquitatis monumenta ut a tragica arte trahunt originem, ita illius ipsius ope recte satis possumus interpretari. Et cum in hoc certe genere scriptionis licitum esse videatur exspatiari et paullulum a proposito deflectere, unum exempli loco attingam.

Ex Lacaenis Sophoclis Pollux L. IX. 49 haec profert:

Ἔστι δὲ ἡ ψαλὶς εἶδος οἰκοδομήματος· ἦπου καὶ Σοφοκλῆς ἐν Λακαίνοις λέγει·

Στενὴν δ' ἔδωμεν ψαλίδα κοῦκ ἀβάρβαρον.

In hoc versu Hemsterhusii coniectura ἔδειμεν, licet speciosa, improbanda est, neque tentavisset vir doctissimus vulgatam scripturam, si argumentum fabulae ei perspectum fuisset. Iam aliquid certe praesidii nobis relictum est in Aristotelis loco de poetica c. 23. ubi recenset eas fabulas, quae ex parva Iliade originem ducant: Καὶ ἐκ τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος, πλέον ὀκτώ. οἶον, ὄπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρις καὶ ἀπόπλους καὶ Σίνων καὶ Τρωάδες. Aristotelem enim Sophoclis fabulam potissimum respicere iure Brunckius suspicatur. Iam Procli excerpta ex Leschis parva Iliade satis docent, quod argumentum et πτωχείας et Lacaenarum fuerit: dicit enim ille p. 482. ed. Gaisf. Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν κατὰ σκοπὸς εἰς Ἴλιον παραγίνεται καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ τῆς ἀλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται κτείνας τε τινὰς τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται· καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζεει ἐκ τῆς Ἰλίου. Id igitur tractavit Sophocles in hac fabula, quo pacto Diomedes et Ulysses simulacrum Minervae ope Antenoris abstulerint. Videntur autem illi clam urbem ingressi esse per cryptam quandam sive cuniculum fornicatim exstructum: id enim significat ψαλίς. Plato de Legg. XII. p. 947. D. Θήκην δὲ ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένην εἶναι, ψαλίδα προμήκη. Hanc veram scripturam confirmat Pollux loco, quem dixi, et Scholiasta, qui hanc vocem recte sic interpretatur: Ψαλίδα· ἀψῖδα ἦτοι καμάραν, ὡς νῦν, ἢ τάχειαν κίνησιν ἢ ὑδρορόην ἢ ἄρμενον. Bene factum quod addit ὑδρορόην: nam videntur sane Ulysses et Diomedes per ductum quandam incessisse, qua sordes et quaevis tetra retrimenta ex urbe profluebant. Iam vero in Sophoclis versiculo illo iure mireris hunc ductum dici κοῦκ ἀβάρβα-

ρον, quod quocunque tandem modo interpretaris, parum congruum est. Scripserat poeta:

Στενήν δ' ἔδυμεν ψαλίδα κοῦν ἀβόρβορον.

Et animadverto nunc iam Blomfieldium idem coniectura assecutum esse, ut refert Guil. Dindorfius. Dicit autem haec verba Ulysses (sive Diomedem malis, non repugno,) exponens quo pacto urbem intraverit. Iam vero haec egregie illustrantur tabula Iliaca, in cuius ima parte conspiciuntur Diomedes Palladium manu tenens et Ulysses (infra scriptum est: *ΟΔΥΣΣΕΥΣ ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΠΑΛΛΑΣ*) progredientes illi quidem ex cuniculo, qui ex grandibus saxis in formam fornicis exstructus est, prorsus ut cloacae etiam nunc aedificari solent. Artifex autem ille pariter atque Sophocles in illa fabula, Leschem ducem secutus est: id quod docet inscriptio in illa tabula: *ΛΙΑΣ Η ΜΙΚΡΑ ΑΕΓΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ ΑΕΣΧΗΝ ΠΥΡΡΑΙΟΝ*. Iam opinor intelligetur nec ἔδυμεν in ἔδειμεν mutandum esse et pro ἀβόρβορον necessario requiri ἀβόρβορον. Hac igitur in re et Sophoclem et artificem illum se ad Leschis poetae antiquissimi exemplum composuisse contendo, aliam autem quandam famam secutum esse Quintum Smyrnaeum, qui quod mireris, totam hanc rem neglexit, et nisi praeteriens non attigit: is enim L. X. v. 350. dicit Diomedem una cum Ulyse muros transiluisse:

*Ὅσπε οἱ ἐννεσίησι κραταιοῦ Τυδέος υἱός
Ἐσπομένου Ὀδυσῆος ὑπὲρ μέγα τεῖχος ὀρούσας
Ἄλκαθόφω στονόεντα φέρειν ἤμελλεν ὀλεθρον,
Ἀρπάξας ἐθέλουσαν ἐύφρονα Τριτογένειαν.*

Haec licet ab argumento, quod tractare professus eram, aliena sunt, tamen veniam mihi latius evaganti permissum iri spero et paene confido.

Scripsi Lipsiae mense Maio MDCCCXXXV.

Theodoru s B e r g k.